

Grandibus ingeniis, non ingens Rhenus, & Ister.  
Hic teretem coni vario fecat ordine formam

Obliquans flexu triplici; prima exhibet astris  
Omnibus oblongos calles: iter altera præbet  
Emissæ funda glandi, volucrique sagittæ:  
Tertia proh quantis est usibus apta! Nitentes  
Hic certo calami ductu descripsit odori  
Veris opes: numeris hic mille arcana, notisque  
Naturæ educata e penetralibus eruit imis.  
Illa Hero, ast illa incisus mihi parte Epidaurus:  
Ursacchi hinc vultus pendent, hinc ora Didalmi,  
Illum ebore, hunc pario sculptum de marmore finxi.

Nil tamen hæc perfecta moror: mea maxima cura  
Pastor Achemeuides tabula pingendus in ampla  
Sollicitum tenet, o Lycida, mentemque, animumque  
Ad se se rapit, & calamos, dextramque reposcit.  
Ille olim sanctæ correptum ad templo Matbesis  
Me traxit, sistens Divæ, atque arcana latentis  
Pandere naturæ, & magni scrutarier ignes  
Ætheris, ac noctes docuit vigilare serenas.  
Centum igitur solidis pingam suffulta columnis  
Templa Deæ in medio: sculptis longa atria signis  
Fulgebunt late: rutilanti hinc aurea Cælum  
Uraniaæ & fixos, errantesque ætheris ignes  
Monstrabit radio: hinc torvus tormenta Gradivus  
Ærea, ferratosque globos signabit acuta  
Cuspide, diffractasque arces: lucentia fila.  
Parte alia septem variata coloribus almæ  
In radium jungent Charites, vitroque resolvent  
Mox iterum triquetro, at speculis ardentibus ignem  
Aligeri edacent pueri; atque incendia spargent.  
Parte alia puram per campos Najades undam  
Grandibus effundent rivis, ludentque natantes.  
Anrea parietibus mille instrumenta, coruscis  
Pendebunt mille e trabibus; numerique, notæque  
Mille solum nivco constratum marmore mille

Di-